1520.

1001

266

Literæ Sigismundi Primi Regis Poloniæ, ad Ludovicum Ungariæ, et Bohemiæ Regem:

Serenissime Princeps et domine &c. Rediens isthinc a Mtte vra ad nos orator noster, Reverendus Dominus Eppus Wladislavien: nobis retulit quantis viribus quantoque conatu Imperator Turcarum contendat adversus Regnum et dominia Mtis vræ Ungariæ, et quo in motu ac perturbatione sit Regnum ipsum constitutum, unde maximam animi molestiam et sollicitudinem cœpimus. Jam enim Mtte vræ satis exploratum putamus eius omnes res fortunas, rationes, nobis cum nris communes esse; Quare anxii vehementer de statu Mtis vræ mittimus hunc nuntium nrum, ad illam et eius res visendas; quam plurimum rogamus, nos de omnibus ad plenum certiores facere dignetur, et quia eadem, quæ ab oratore nro accepimus nobis Waiwoda Moldaviæ significavit, addens Imperatorem Turcarum sibi in subsidium Tartaros ascivisse qui jam copias omnes suas, finibus harum Regionum nostrarum admoverunt. Curam habemus cum subditis

nostris, ut si quod aliud auxilium Mtti vrae praestare nequiverimus eorum Tartarorum impetum reprimamus, aut saltem ita sarceamus, ut Turcis nullo modo adminiculo esse possent. Interim quid de hoste certi habeat, quidque ipsa consilii captet, aut quibus viribus quo apparatu ad hostem ipsum repellendum nititur nobis declarare dignetur, seque in subditos suos tueri quod diligentissime curet. Nos quantum facultas nostra suffecerit & bella nra patientur Mtti vrae nullis modis deerimus. Quae felicissime valeat & nos diligat. Datum